



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 121. Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis. v.
49.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

mihî familiarem faciam ad abnegandum meipsum in omnibus quo me dignum iniuria æstimem, & plagis vndeunque etiam mihî adueniant.

§. 121. *Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis. v. 49.*

Quid agitis ô milites, ô Iudæorum Principes, ô ministri seniorum, cur huc properatis armati, vt Iesum capiatis, cureum de nocte queritis? cur non de die, cur non in templo docentem, hoc ipso elapso die, apud vos concionantem? ante quinque dies triumphantem! quando gratulabundi de eius aduentu acclamastis *Osanna benedictus qui venit in nomine Domini!* Vtique dicetis mihî: Quia opportunum tempus non erat, quia traditionis promissio facta non fuerat per Iudam, nec congregatio seniorum habita, sed quæ causâ quod tanquam ad latronem existis comprehendere Iesum? Credo, quia docuit palam contra Magistros Synagogæ, Scribas, Seniores, Principes populi, conscientiam commouit eorum & tetigit peccata monstrauit, vnde ira perciti consilium inerunt, vt ipsum dolo caperent & morti traderent, tanquam legi contradicentem, qui contradicit vestris vitijs. Ergone istud quod retribuitis pro doctrina vobis impensâ pro tot beneficijs in vos profectis? nunquid redditur pro bono malum? nunquid ægros vestros sanitati restituit, cæcos illuminauit? claudis gressum reddidit? mortuos suscitauit! & quid ultra potuit facere & non fecit pro vobis. Silebo hic, quod Deus sit, & Messias vester, & quis tot tanta beneficia præstitit patribus vestris in Ægypto? quis in deserto? quis populo sitientem aquam dedit de petra? quis manna de cælo? quis carnem pluit ad vescendum? quis ita secure vos eduxit ex Ægypto per mare rubrum, in terram Chanaan, fluentem lac & mel, quis patribus vestris tot tamq; admirabilia dedit triumphos & victorias in hostes, bona eorum & terras? quis legent? Nonne ipse & non alius! ô ingratitude!

Ingrati Iudæi! quam turpiter, quam misere dominum gloriæ & prophetam suum canes spurcissimi hic tractatis, ipse quidem vt agnus mansuetissimus lenibus vos verbis blandè conpellat dicens: Tanquam ad latronem existis comprehendere me, quotidie eram apud vos in templo docens & non tenuistis me. Cur igitur hâc hora? hac nocte? nisi quia *hec est voluntas vestra & potestas tenebrarum.* O obcæcati & impij, quid opus erat vt tam frequenti numero veniretis capere, vltro se manibus vestris, vt ouem, offerentem? quid necesse erat cum laternis inquirere & facibus, obuiam vobis procedentem & vos alloquentem? aut cur noctu queritis quotidie apud vos versantem in templo, reuera filij tenebrarum estis vos omnes, qui odio

habent

habent lucem, ideo eam extinguere cupiunt, ut in tenebris permaneant, ne mala ipsorum opera manifestentur, sed frustra laborant, ut enim scriptura ait: *Non extinguetur in nocte lucerna eius, sed clarius fulgebit, supraque candelabrum Crucis leuabitur, ut luceat omnibus qui in sanctæ Ecclesiæ domo sunt.* Quandoquidem ergo Christus amore nostri volens lubensque se capiendum Iudæis tradidit, decet ut & nos vicissim amore illius captiuemus omnes sensus nostros in illius obsequium, oculos non aspectando illicita, aures noxia non audiendo, linguam, neque de rebus otiosis, neque de aliorum fama sine iure loquendo, manus abstinendo ab actionibus malis, cor non admittendo noxias cupiditates, mentem denique cauendo noxias cogitationes.

§. 121. *Sed ut impleantur scriptura. v. 49.*

Patriarcharum & Prophetarum, quæ de Christo testimonium perhibent, existis nimirum comprehendere eum, quia ita placitum est coram patre, & ipse voluit: *Oblatus est, quia ipse voluit. Isa. 53. tanquam ovis ad victimam ductus est: attritus est propter scelera nostra. Psal. 21. Circumdederunt me viculi multi & tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens: & alia eiuimodi plura, quæ inueniuntur in Sacra Scriptura, de Christo impleri debebant, & concludit hanc tragædiam Euangelista excusando per impletionem scripturarum quodammodo Iudæos, quare venerint ad eum captiuandum cum gladijs & lignis. ita enim suos scriptores erudiuit idem mitissimus Dominus ne acerba scriberent, sed suo exemplo mansueto stilo, & quando nec opus Iudæorum nec intentionem poterant excusare, excusarent aliunde, nempe per prætextum implendi scripturas.*

Protektor in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, neque sanctum, sine cuius voluntate nihil esse, fieri aut cogitari potest in terra deorum neque in cælo sursum, qui cuncta disponis in ordine, pondere & mensura, ubique præsens, omnia implens, quam suavis est spiritus tuus clemens, mitis, benignus, non acerbus. Nemo hominum talem & tam ingeniosam excusationem male agentium unquam excogitauit, quam tuus spiritus. Benedictus sis igitur in cælo, & in terra. Dignus es Agnus, qui occisus es, accipere honorem & gloriam in sæcula sæculorum. Amen.

§. 122. *Tum: discipuli eius eum relinquentes omnes fugerunt. v. 50.*

Quando scilicet viderunt Christum captivum, ligatum manibus & collo, & nullam si speresse spem liberationis, anxij ne ipsi quoque captiuerentur cum Domino ligarentur, fugerunt: & sic impletam quod prædixe-

L

IKAG